

rum studiorum cultores cupiam peruēturos, laudem uerò ad uos uno s
 commigraturam. Hac enim laude cum primis digni estis, quod primi ac
 penè soli sitis hodie in Germania (absit inuidia dicto) quorum patroci-
 nio rectorum studiorum causa sustentatur, foueturq̃. Quod exemplum
 utinam sequerentur etiam alij, quos habet Germania Principes plures,
 titulis alioqui non inhonestarum rerum inclytos & illustres. Certe ab eis
 res præclare gestæ, ad posteros ut cum laude extendantur, sine literarum
 præclarissimarum adminiculo, rectè sperare non possunt. Sic enim usus
 comperimus, neq̃ nomen sibi quenquam parare posse, neq̃ locum lau-
 dis ullum apud posteros habiturum, qui hisce disciplinis animum suum
 parum bona fide studuit obfirmare. Quare contemptores artium præ-
 terquam quòd uitam inglorij transigunt, in ipsum etiã conditorẽ rerum
 ingrati esse conuincuntur. Sunt enim artes honestæ omnes, non sine nu-
 minis summi certa dispensatione ad homines allatæ: ut iam neq̃ uita di-
 gnus censerì debeat, qui contemptor est eorum bonorum, sine quibus
 nec ipse homo rectè ualere queat. Animus quo est corpori præstantior,
 hoc diligentiori studio curandus uenit. Curatur autem recta ratione po-
 tissimum, & uirtute, qua cum cognationem quandam habent omnes si-
 mul honestæ artes. Quas non enim (ut de alijs taceam) illa nobis contu-
 lit in uita utilitates, quæ à mensuratione terræ Geometria, Græco nomi-
 ne est uocata? Quid illius disciplinæ studiosi, ad uitæ humanæ conserua-
 tionem, intentatum reliquerunt? Quid non ausi sunt in lucem produce-
 re illi? Annon illorum inuenta sunt machinæ illæ bellicæ, arietes, telaq̃
 & propugnacula, passimq̃ uniuersa alia quæ in numero, pondere & mē-
 sura creasse Deum ipsum fides Christiana recepit? Corporum celestiu
 ordines, interualla, magnitudines, ad nostram notitiam, non ne Geome-
 træ attulerunt? Scripsit huiusmodi de rebus Archimedes Siculus ille
 multa iucunda, utilia & necessaria uitæ: in quibus sunt de Sphæra & cy-
 lindro libri duo, copiosè equidem & felicissimè scripti. De circuli com-
 mensuratione, nihil æquè doctū tradiderunt ueteres, atq̃ apud hunc no-
 strum legere est autorem. Si enim circulus in Geometricis figuris est li-
 nea infinita, in qua nō est terminus à quo, (ut uocant;) nec terminus item
 ad quem, nēpe cuius principiū & finis est in quolibet puncto: quis, quæ-
 so, ueterum ea de re Archimede nostro apertius uel scripsit, uel docuit?
 Quis terminos illos quatuor, quibus uniuersa Mathemata constant, pū-
 ctum, lineam, planiciem, & profundum, clarius oculis humanis unquam
 subiecit? De planis uero corporibus, solidisq̃, de rotundis, conicis quo-
 que, & his quæ more pyramidum assurgunt: item de linea, superficie, &
 corpore, quibus tribus rebus omnis continetur magnitudo: & quia o-
 mne corpus tribus constat interuallis, longitudine, latitudine, crassitudi-
 ne: deniq̃ de quadrata figura, quæ in architectura principem locum, &
 iure sibi congruentem uendicat, cuiq̃ quasi proprium est, quod est cu-
 bus